

quibus ipse ministrat oleum gratie candelabro, id est Ecclesie, factique eam pariter regnum sacerdotale et sacerdotium regale, ut in ea sit gens sancta digna Deo; ac proinde dicitur Christus, id est unctus oleo gratie, tum unionis hyposta-

tice, tum charismatum omnium, que quasi caput distillat in fideles quoslibet. Verum hinc minus congrue respondent tum idea et significationi litterali, tum allegorie candelabri et olivarum superius tradite.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sicut cap. iii. Jesum pontificem, et cap. iv. Zorobabel principem animavit ad fabricam templi; ita hic consolatur et animat populum e Babylone in Jerusalem reversum, ne timeat Chaldaeos, Persas, Samaritanos aliosque hostes; eo quod Deus ejus peccata jam expiarit captivitate septuaginta annorum, qua respiciens et ponitens populum conversus est ad Deum; qui proinde maledictionem ab eo transtulit in domos et sedes sceleratorum. Hinc secundo, vers. 5, videt amphoram in qua sedet mulier, puta impietas, talento plumbei obstrui, ac a duabus mulieribus alatis transferri in Babylone, ut ibi stabiliatur et residat, nec amplius in Judaeam redeat. Impietas hoc notat idololatram, quam Judaei reliquerunt in Babylone: nam post reditum ea ea nunquam amplius coluerunt idola. Significat ergo Deus, se idololatram desineps a Judaeis ablaturam, ut illa in Babylone quasi religata maneat, ejusque poena et vindicta a Judaeis in Babylonia transferatur: quo tacte monet Judaeos qui Babylone remanserant, ut ea ea, utpote impia, et mox rursus a Dario Hystaspis vastanda, fugiant; ac proinde nihil esse quod Hierosolymis ulterius timeant, praesertim a Persis aut Chaldaeis, quibus nuper ob idololatram in praedam dati fuerant; sed quasi filios castigatione Dei Patris jam emendatos, laetos et atores ei servire debere, scientes Deum eorum fore protectorem, nec permissurum ut quis hostis eos laessat, vel a fabrica templi impediatur. Quid allegorice haec amphora significet dicam vers. 6 (1).

1. Et conversus sum, et levavi oculos meos: et vidi, et ecce volumen volans. 2. Et dixi ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ego video volumen volans: longitudo ejus viginti cubitorum, et latitudo ejus decem cubitorum. 3. Et dixi ad me: Haec est maledictio, quae egreditur super faciem omnis terrae: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur: et omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur. 4. Educam illud, dicit Dominus exercituum: et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter: et commorabitur in medio domus ejus, et consumet eam, et ligna ejus, et lapides ejus. 5. Et egressus est angelus, qui loquebatur in me; et dixi ad me: Leva oculos tuos, et vide quid est hoc, quod egreditur. 6. Et dixi: Quidnam est? Et ait: Haec est amphora egrediens. Et dixi: Haec est oculus eorum in universa terra. 7. Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphorae. 8. Et dixi: Haec est impietas. Et projecit eam in medio amphorae, et misit massam plumbeam in os ejus. 9. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce duae mulieres egredientes et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi alas milvi: et levaverunt amphoram inter terram et caelum. 10. Et dixi ad angelum, qui loquebatur in me: Quo iste deferunt amphoram? 11. Et dixi ad me: Ut aedificetur ei domus in terra Sennaar, et stabiliatur, et ponatur ibi super basem suam.

Vers. 1. 4. ET CONVERSUS SUM, — excitante me angelo, ut novam visionem ab eo oblatam aspicerem, et exciperem oculis, non corporis, sed phantasiae et mentis.

(1) Post emblemata referentia statum Judaicæ gentis et urbis futuram (1, 2), et alia spectantia ad Jesum pontificem et Zorobabelem duces (iii, iv), sequuntur jam

ET ECCE VOLUMEN VOLANS. — Hebraicum מגילה *megilla*, librorum convolvilem. Ita Syrus et Arabicus Antiochenus, ac Rabbinus. Hebraei enim olim non habebant li-

emblemata exhibentia interitum reipublice Judaicæ et monarchiarum cum transitu ad regnum Christi.

In emblemate primo, exhibetur volumen longum et

bros distinctos per folla, sed membranam unam oblongam, quam circa cylindrum convolvebant instar mappae geographicæ, quae proinde vocatur *megilla*, id est volumen ab hac circumvolutione, ut dixi *Ezech.* ii, 9. In hoc volumine scripta erant omnia furta et perjuria, id est omnia peccata sceleratorum, aequae ac poenae et supplicia eis, pro merito cujusque infligenda, idque cito, instar sententiae et flagelli volantis. Quocirca eleganter Aquila et Theodotus volumen hoc vocant *δελτα*; dipthera enim est membrana e pelle caprae, qualis fuit pellis Amaltheae, caprae Jovis. Huius enim lacte fabulantur poete alitum Jovem, ideoque ejus pelle usi pro libro suo, ac in ea scribere omnia omnium hominum peccata. Unde pro verbum: « Antiquiora dipthera loqueris, » hoc est nimis antiqua et obsoleta. Et: « Sero Jupiter diptheram inspexit, » dici solitum in eos qui, sero quidem, sed aliquando tamen pro malefactis dant poenas; Deus enim multa pro tempore dissimulat, sed aliquando improbos puniet eo acrius, quo tardius. Porro veteres, nescientes usum papyri et chartae, pro ea utebantur pellibus caprinis, vel ovinis, in iisque scribebant, uti alibi ostendi.

Secundo, Septuaginta et Arabicus Alexandrinus pro מגילה *megilla*, id est volumen, legentes מגילת *magilal*, vertunt *fala volans*. Eos sequuntur S. Cyrillus, Theodoretus et passim Graeci: ac forte eo alludit S. Joannes Apoc. xiv, 4, ubi vidit in manu Christi faleam autam, qua scilicet demelat et succidit peccatores: falx enim symbolum est punitionis, stragis et excidii. Verum vera lectio est *megilla*, id est volumen, ut legunt Noster, Chaldaei, Hebraei et passim Latini. Nam in eo scripta erant hominum peccata, uti sequitur. Unde eo alludens S. Joannes Apoc. xx, 12: « Judicati sunt mortui, inquit, ex iis quae scripta erant in libris secundum opera eorum. » Quin et Daniel cap. vii, 10: « Judicium, inquit, sedit, et libri aperti sunt. »

Tertio, pro volumine Symmachus vertit, *καταβιβλος*, id est capitulum, hoc est initium, vel summa et compendium. Unde colligas quanta fuerit multitudo peccatorum quae in hoc volumine scripta fuerunt, utpote quorum compendium, vel principium, puta volumen hoc, fuerit latum decem cubitos, et longum viginti. Aliter Fernandus *visione* XXXII, sect. 1, censet enim volumen hoc vocari a Symmacho compendium, quia in eo scripta erat impietas, puta occisio Christi, ut ait

latum volitans diram vindictam contra fures et perjuros excedentem portendens, 1-4.

In emblemate secundo, representantur, *primo*, amphora, plumbi pondus, et mulier in amphora, quibus significatur mulierem esse impietatem compressam in amphora et occultam plumbo, 5-8; *secundo*, duae mulieres alatae transferentes amphoram, quae significant impietatem populi, duratam diu in confusione, opprimendamque ita quidem, ut non se efferat, 10, 11.

Rupertus, quae fuit omnis impietatis epilome et summa. Verum hoc mysticum est: nam ad litteram in libro hoc scripta erant furta et perjuria illius aevi, ut sequitur. Quocirca minus genuine Burgensis censet in hoc volumine scriptam fuisse explicationem legis Mosi a Deo oralem traditam, quam Rabbinus Cabalam nuncupant, quae ab his in Talmud conscripta est. Melius Lyranus arbitratur in eo scripta fuisse furta et perjuria populi, quibus meruit captivitatem Babylonicam. Verum nec hoc est genuinum. Illa enim scelera jam ante octoginta annos praeterierant: hic autem agitur de sceleribus praesentibus, et poena eis irroganda, non irrogata. Alii enim: « Educam illud, etc., et veniet ad domum furis, » etc.

Similem librum vidit Ezechiel cap. ii, 9, in quo inquit, « scripta erant lamentationes, carmen et vox; » eique parallelum vidit S. Joannes Apoc. x, 10, quem jussu angeli devoravit: « Et erat, inquit, in ore meo tanquam mel dulcis: et cum devoravero eum, amaricatus est venter meus. » Nimirum omnes hi libri significant Dei mentem, voluntatem et decretum, in qua quasi in libro descripsit poenas cuique peccato et peccatori delictas, v. g. quali et quanta puniendus sit fur, perjurus, etc. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et Hugo.

Symbolice, S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. vi, et Rupertus pro hoc volumen accipiunt S. Scripturam, quae conscribit Dei minas, maledictiones et poenas peccatoribus infligendas, ut patet *Levit.* xxvi; *Deuter.* xxvii, xxviii, xxx, et alibi.

VOLANS. — Ut significet colorem peccatoribus imminere vindictam, quae hoc libro conscripta est, inquit Rupertus, Albertus, Hugo et Clarus. Audi S. Chrysostomum hom. 27 *ad Populum*, ubi increpans jurantes et pejerantes: « Falx, inquit, volans velocissimum ultionis incursum significat juramentum sequentem; multorum vero cubitorum longitudo et latitudo vehementiam indicat, et magnitudinem malorum. At, ex caelo volare, significat e superno tribunali iudicium ferri: falcata vero forma, inevitabilem supplicii sortem. Sicut enim quocumque falx incurrit, non solum secum arripit, verum et caput amputat, ita et poena jurantibus ingruens est difficillima, nec prius absisti, quam quod suum est perfererit. »

Secundo, a Castro: Volumen, inquit, volans dicitur, eo quod supplicium semper imminet capiti sceleratorum, semperque in aere pendeat, Dei tantum praestolans annulum, ut sibi peccatores timeant, et caveant flagellum acerrimi vindictae: sicut Jeremias cap. i, 11, vidit virgam vigilantem, seu baculum populo imminente, quo Deus eum erat percussurus pro Chaldaeos. Vindicta ergo Dei volat, et involat in peccatores; perinde ac aquila, milvi, accipitres volant per aera quaeerentes praedam, eaque visa rapacissime et rapidissime in illam involant; perinde ac scintilla ignis volat in horrea plena stipulae, eaque

Car. vi.
lat.
Castro
prima.

Secundo.

et perjuri. Rupertus, Arias et Vatablus censent id factum per Antiochum Epiphaneum, qui mire adfixit Judæos tempore Machabeorum. Verum jam tum cum hæc minatus est Zacharias, eadem Deum fecisse credibile est, privatim domos impiorum consumendo.

ET COMMORABITUR IN MEDIO DOMUS EJUS, ET CONSUMET EAM. — Solent enim domus in quibus immane scelus, v. g. rebellio in principem, patrum est, destrui et radi usque ad fundamenta, uti Bruxellæ initio tumultuum Belgicorum factum vidimus. Sic Deus Sodomam et Pentapolim cælesti igne sideravit et consumpsit. Sic hic maledictio Dei domos furum et perjurorum invadit, easque disperdit, utpote que totæ ex pauperum rapinis furis que consistit; Judæorum, inquam, ut dixi vers. 3. Ad hos enim minæ hæc Propheta diriguntur, hique soli jurabant per nomen Dei veri. Quare minus verum et congruum videtur quod censent aliqui, hæc minas dirigi ad gentes, quasi maledictio que Judæos in captivitate Babylonica afflixit, ab iis, utpote illa expiatis, transferenda sit ad gentes, v. g. ad Babylonios, uti dicitur vers. ult. Non enim iam eam expiarant, quin in multis adhuc expianda restaret, presertim qui nova scelera vel in Babylone, vel post reditum a vicinis gentibus didicerant et contraxerant. Quocirca licet Aggeus, Malachias et Zacharias consulerit fideles et pios Babylone redeuntes, tamen pariter acriter taxant impios, qui tanta captivitas castigatione non meliores, sed deteriores sunt effecti, ut patet cap. 1, 3; *Malach.* II, 10, et cap. III, 8; *Aggæi* I, 5.

Dices: Si maledictio commoretur in domo, quomodo domum consumit usque ad lapides et ligna? Respondeo, supplicia que Deus in domos furum, perjurorum et similium facinorosorum immittit, quasi molem aliquam eis incumbere, que paulatim instar mole eos molit et comminuit, arcano et miro quodam modo, usque ad ligna et lapides novissimos, donec eas ad nihilum redigat. Sic hoc sæculo vidimus et videmus familias potentes, que per rapinas vel bona male parata splendide evaserant, justo Dei judicio ac vindicta eis incumbente esse commolitas, et vel annihilatas, vel ad miseram sortem redactas; ut qui eas videt stupeat, quomodo tante opes sensim sine sensu evanuerint. Notat S. Chrysostomus hom. 15 ad *Populum*, Deum ita punire jurantes ad exemplum aliorum: « Quam ob causam, inquit, lapides et ligna jurantis dissolvit, ut ruina alius correctio fiat. Postquam enim jurantem mortuum terre condi necesse est, domus dissoluta, et ruina facta prætereuntibus omnibus et cernentibus admonitio erit per aspectum, ut non eadem audeant, ne eadem patiantur, et accusatrix erit mortui criminis continua. »

Loquitur Propheta de maledictione inflata Judæis furibus, perjuriis et sceleratis sui evi: a pari tamen, imo a majori intelligit quoque eam,

que postea ab cæsum Christum illos invasit. Hæc enim omnium fuit maxima, que Jerusalem cum templo, regno et republica funditus everit et consumpsit, adeo ut Jerusalem illa vetus et gloriosa modo nunquam existisse videatur, uti Christus illi comminatus erat, dicens *Luc. XIX, 44*: « Ad terram prosternant te, et non relinquunt in te lapidem super lapidem. » Hæc quoque a 1600 annis in tota Judæorum sobole et gente jugiter commoratur, factique ut Judæi sint toto orbe vagi, exules, viles, miseri, servi, exosi, ignorantes, obdurati et execrati, sine lege, sine rege, sine Ecclesia, sine republica, sine templo, sine sacerdotio, sine prophetia, sine Deo. Conati sunt ipsi permittente, imo instigante, Juliano Apostata, in odium christianorum, templum Hierosolymæ, reedificare; sed ignis et fundamentis egrediens fabros cum fabrica consumpsit, uti testatur S. Chrysostomus orat. *Contra Judæos*.

6. AMPHORA. — hebraice מֶנָּה epha, est mensura (ut vertit Syrus, et Arabicus uterque) captionis tres modios frumenti, decima pars ephi, vel cori; corus enim capiebat 30 modios. Jam quia epha erat communis mensura Hebræorum, hinc hoc loco, et alibi sæpe, pro mensura in genere capitur. Unde Noster docet vertit, *amphora*, tum quia hæc pariter apud Latinos erat communis mensura; tum quia ex æquo respondebat epha, sive trimodio in aridis. Audi Budeum lib. *V De Asse*: « Comperi amphoram esse octavam partem ejus vasis, quod modium vini dicimus. Modium vini tricenos sextarios nostros capit: sextarius autem octonas eas quas pintas dicimus. In aridis autem pro amphora quadrantem sextarii habemus, id est ternos bossellos, pro quibus vas trimodium habemus, dimidiatum medimum. »

Amphora ergo, sive epha, significat mensuram peccatorum Judæorum, punitioni et excidio eorumdem a Deo decretam et prefinitam, qua sensim impleta Judæi puniti et excisi sunt. Deus enim videns peccata gentis, vel hominis aliquis, non statim prosilit ad vindictam, sed longanimiter ea tolerat; ideoque cuique genti, vel homini, certam præscribit mensuram peccatorum, uti ad æquum illa plane impleatur, non puniat, sed mox ubi ea impleta fuerit, tum omnia simul et semel acriter castiget et vindicet, juxta illud Christi *Matth. XXIII, 32*: « Et vos implete mensuram patrum vestrorum. » Et *Genes. XV, 16*: « Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum. » Vide ibi dicta. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Rupertus, Albertus, Hugo, Lyranus et alii passim. Utitur symbolo amphore, vel epha et modii, quia in his mensuris fraudem et furtum, de quo vers. 3, faciabant Judæi. Unde Chaldaeus vertit: *Isti sunt populi qui accipiebant et dabant mensura falsa. Et mox: Propter hoc condemnati, et in exilium translati sunt, quia accipiebant et dabant mensura falsa.*

Quæres, quando hæc amphora, id est men-

sura peccatorum a Judæis fuit impleta, et a Deo castigata, ac extremo gentis excidio vindicata? Respondeo *primo*, hæc mensura ab iis impleta fuit tempore Sedecie, ac castigata a Deo per Nabuchodonosorem captivitate Babylonica 70 annorum. Ita Hebræi, S. Hieronymus, Theodoretus, Vatablus et alii. Et de hac proprie hic agi videtur. Amphora enim hæc translata fuit in terram Sennaar, id est in Babylone, ut dicitur vers. ult. Porro amphora hæc significat mensuram plenam tum culpæ (unde insidet ei impietas), tum pænæ. Culpæ, nimirum quod ea jam in Judæa exereverit per idololatriam, et alia scelera ad summam impietatem: quocirca significat culpam hanc ex ea, utpote terra sancta, everrendam, abductis sceleratis Judæis in Babylone: Babylone enim esse sedem idololatriæ atque impietatis. Pænæ, nimirum quod jam puniata sit in Babylone captivitate 70 annorum, et rursum ibidem punienda sit, si in ea remaneat, tum solito exilio, tum excidio universali a Dario Hystaspis. Darius enim Babylone ejusque incolas, tam indigenas, quam advenas, puta Judæos qui in ea remanserant, cepit et vastavit, ut dixi cap. II, 7. Proprie enim hæc visio Zachariæ dirigitur ad Judæos; non tantum in Jerusalem degentes, sed etiam ad eos qui in Babylone post datam a Cyro libertatem redeundi remanserant, nec in Jerusalem reverti voluerant, eo quod jam sedes et familiaris coemptis domibus et agris fixissent in Babylone. Hosce in patriam revocare conatur Propheta, tum ne Babyloniis moribus et idololatriæ assuescant, tum ut Babyloni instans excidium per Darium effugiant. Hoc est quod dixit cap. II, 7: « O Sion, fuge que habitas apud filiam Babylonis, » ut ibidem explicari. Vidit ergo Zacharias amphoram, sive mensuram in qua sedebat impietas, et Judæa transferri in Babylone: quo significat impietatem Judææ, impiosque Judæos translatos esse in Babylone, ac proinde Judæam jam esse ab impietate expurgatam et puram, Babylone vero esse sedem et cloacam impietatis: quocirca impietatem in Babylone mansuram, nec amplius in Judæam redituram. Hinc deinceps idololatria non est visa in Judæa, quia illam cum sua amphora, id est pænâ, Judæi reliquerunt in Babylone, quando ejus mensura per septuaginta annos persoluta, expiati et liberi redierunt in Jerusalem. Tunc enim liberi a culpa et pænâ, ejus modium, amphoram et mensuram deposuerunt in Babylone: quo tacite monet Judæos in Babylone degentes, ut ea quasi cloaca scelerum relicta, in sanctam Jerusalem redeant. *Secundo*, eodem symbolo significat per hanc amphoram, id est impietatis cumulum, qui Babyloni ex impietate Judæorum accesserat, et in dies ex eorum, æque ac Babyloniis criminibus accedebat, brevi complemenda esse rursum peccatorum Babylonis mensuram, ut ea completa excinderetur cum omnibus

incolis a Dario Hystaspis. Amphora enim incumbens Babyloni significat supplicium et excidium imminens Babyloni, ob impietatem in amphora residentem, et cum amphora translata in Babylone, ita Sanchez: qua ratione rursum monet Judæos reliquos in Babylone, ut ex ea discedant, ne ejus clade involvantur. Totum enim hoc caput, ut recte advertit Joannes Mariana, dirigitur ad Judæos, non tam in Judæa, quam in Babylone degentes, ut ostendat eorum infelicitatem, impietatem et periculum, eoque illos ad reditum in Jerusalem et templum invitet: inde tamen consequenter et ex adverso significat felicitatem, pietatem et securitatem Judæorum in Judæa degentium, utpote qui exportata jam impietatem in Babylone, degant in terra pura et sancta, ibique fabricæ templi et Dei cultui pie et quiete insistant. Omnia enim hæc eo spectant, ut populum incidat ad templum in Jerusalem restituerandum, perficiendum et exornandum, ut in eo pie sancteque Deum colat, ejusque obediat et serviat. Itaque proprie hæc amphora, in qua sedet impietas translata in Babylone, significat idololatriam tam quoad culpam, quam quoad pænâ ex Judæa translata esse in Babylone, ibique sedem fixisse.

Secundo, hæc amphora et mensura peccatorum Judææ, per excidium et captivitatem Chaldaeorum evacuata et expurgata, post reditum Judæorum e Babylone rursum ab iis impleri cepit. Unde Arias per amphoram accipit publicam fraudem, que tunc in populo grassabatur, furta et perjuria de quibus vers. 3. Hæc amphora sensim per 360 annos rursum impleta fuit: unde post eos iterum evacuata et expurgata fuit per Antiochum Epiphaneum tempore Machabeorum, qui gravius Judæos afflixit: sed plane et plene impleta fuit per parriocidium, imo deicidium quo Christum Dominum occiderunt, juxta illud Christi *Matth. XXIII, 32*: « Et vos implete mensuram patrum vestrorum, » scilicet occidendo me, Deum et Messiam vestrum, ut impleta mensura vestrorum scelerum, veniant vestri carnifices Titus et Romani, qui extremo et æterno excidio vos plectant, ut in terra Sennaar, id est toto orbe, inquit Sanchez, vagi et profugi exsuletis, donec Antichristum vere et proprie in Sennaar, id est in Babylone, quasi stabili et firmo loco regni ejus, colatis et adoretis. Ita Rupertus, Emmanuel, Ribera, Fernandez et alii.

Prior sensus proximior est, ideoque literarius; posterior remotior, et priori quasi typo incumbens, ideoque partim literalis, partim allegoricus. Ubi nota amphoram hanc partim esse enigmi rei præterite, puta captivitatibus Babylonicis; partim oraculum rei future, ejusque triplicis, scilicet *primo*, instantis excidii Babyloni, a Dario Hystaspis inferendi; *secundo*, impietatis in eo collocandæ per Antichristum; *tertio*, excidii et exilii Judæorum per Titum et Romanos ob cæsum

Vers. 6.
Amphora
quid?

Est mensura
peccatorum.

Amphora
tria portendit.

ab his Christum. Denique amphora hæc symbolice diversa est a volumine, vel, ut Septuaginta vertunt, *falte volante*, vers. 2; sed significatio est pene eadem. Unde utraque volat: hæc in domum furis et perituri, illa in Sennaar, id est in Babylone, ubi impietati sedes, æque ac vindicta et carnisifica a Deo statuta est. Unde et de utraque vere vers. 3 dicitur: « Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ. »

Hæc est oculus. — « Oculus » hic dupliciter capi potest. *Primo* active, ut significet Dei providentiam, *g. d.* Hæc amphora significat pervigilem Dei oculum, qui universam terram circumspicit et lustrat, ac cuique penas pro mensura seclerum assignat. Sicut enim est sol oculus mundi, ita multo magis Dei providentia est sol et oculus universi; de quo plura dixi cap. ut, 10, et *Jerem.* cap. 1, 11.

Secundo et melius, passive et objective, oculus, id est objectum oculi, puta res visa in quam omnes conspectus oculi, *g. d.* Oculus, id est aspectus, omnium Judæorum fertur ad hanc amphoram, oculi eorum non aliud respiciunt quam ad amphoram, ut scilicet eam peccatis suis impleant; adeo effrenes ruunt in scelera, ut non aliud quam ad scelera respicere et oculos intendere videantur, juxta illud *Genes.* VI, 3: « Videns Deus quod, etc., cuncta cogitatio cordis inventa esset ad malum omni tempore. » Et *Jerem.* XXII, 17: « Tu vir oculi et cor ad avaritiam, et ad sanguinem innocentem fundendum, et ad calumnia, » etc. Verum enim est illud vulgi: « Ubi manus, ibi dolor; ubi oculus, ibi amor; ubi mens, ibi cor. » Et illud Poeta: « Amor ex videndo nascitur mortalibus. » Sicut enim sol per speculum tersum stupam incendit, sic res pulchra per oculos intronmissa in animam, eam accendit. Hoc modo in corde per oculos facit amor incendium. Ita Theodoretus, Arias, Ribera, a Castro et alii. Unde Septuaginta pro *עין* eniam, id est oculus eorum, per diuersim legendæ *עין* avonam, vertunt: *Hæc est iniquitas eorum in omni terra* (1).

(1) Sic vertit Maurer: Et dixit: *Hæc est species*, imago eorum, Judæorum, in tota terra. Vult autem hoc dicere: quemadmodum hæc epham cum inclusa muliere, quæ est impietas, statim videlicet per aërem ablatam in terram longinquam, ibique fixam in loco firmo: sic quæ per totam terram est impietas removebitur et opprimetur, ita ut denique se tollere nequeat. *עין* ain, species, imago, ut in visis objectis Ezechielii et Danielem. Suffixum *עין* respicit terre incolæ, eosque improbos: cf. visum superius, vers. 3, 4. Rosenmullerus, Ewaldus et alii indicari volunt improbitatem captam tandem omnium oculis spectandam exponi, tum terra ejici. Verum quæ subjunguntur præter vers. 7, omnia manifeste eo redeunt, ut epha cum injecta muliere, representante improbitatem, superimposito operculo ponderosissimo bene clausa, in terram longe remotam disjatur terri. Quod vers. 7, epha retegatur, fit in breve temporis spatium, et eo tantum consilio, ut vult quid sit in epha ostendatur; simul atque enim ostensa est mulier, vix denique clauditur. Falsissimum etiam,

Rursum amphora, id est mensura pene, quæ iniquitati Judæorum debita eidem imrogabitur, erit oculus, id est conspicua universæ terræ. Publicum enim scelus publica poena vindicandum est, ut, sicut ipsi jugiter oculos indenderunt in amphoram culpæ, ita alii omnes oculos intendant in amphoram et mensuram ingentem pene, culpæ eorundem commansam. Unde Chaldaicus vertit: *Ecce ipsi manifesti sunt coram omnibus habitatoribus terræ*. Omnes enim videbunt enormes cruciatus, sicut viderunt enormia eorum crimina. Et S. Hieronymus: « Oculus, inquit, est tensio peccatorum, ut quorum vitia dispersa latitabant, in unum coacta oculis omnium panderentur, et egrederetur de loco suo Israel, et qualis in terra sua fuerit, oculis gentibus monstraretur. » Ita Judæi sunt oculus universæ terræ: omnes enim eos aspiciunt ut Christidarum filios, qui portant culpam et penam patrum suorum, eorumque sceleris magnitudinem in sua desolatione ubique ostendunt, inquit Rupertus. Ita tropologicè Deus peccata in tenebris et oculis locis perpetrata educta in lucem, facitque ut sint oculus totius orbis, cum ea punit publica infamia, aut publica clade et supplicio.

7. TALENTUM PLUMBI. — Hebraice *כֶּלֶךְ* *keker*, id est, globus, vel potius orbis plumbeus, tota vel massa plumbea, ut vertit Interpres vers. 3. Unde S. Hieronymus: « Massa, ait, instar lapidis ferebatur, vel suo impetu, vel Domini jussione; vel ferebatur ab alio cuius nomen tacitum est. » Talentum plumbi notat gravitatem culpæ, et consequenter pene, quæ peccatores deprimit et opprimit, ut sese erigere et ab ea eximere nequeant: unde obstruit os amphoræ, ut impietas ea conclusa in æternum oclusa maneat: de quo mox plura. Ita S. Hieronymus, Haymo, Remigius, Rupertus et Lyranus. Proprie talentum plumbi notat gravem rigidamque Dei sententiam, quæ Judæis penam culpæ, quæ amphoram impietati adque culpam commensurabat, eamque quasi obsignabat et occludebat, ut ex ea egredi non posset, nisi tota mensura pene persoluta, nisi scilicet expletis annis 70 captivitalis in Babylone. Addit Ribera, talentum plumbi quo omnino clausa est amphora, significari diuturnitatem supplicii et exsilii, æque ac expectationis Judæorum, scilicet illud duraturum usque ad finem mundi: porro amphoram portari in terram Sennaar, quia illorum cecitas et pœna deratit, donec ipsi in Babylone Antichristum colant et adorent.

ET ECCE MULIER UNA SEDENS IN MEDIO AMPHORÆ. —

addit Maurer, quod cum Hieronymo Rosenmullerus æquæ de præteritis judicat, « sensus, inquit, hic est: id quod vides figuram gerit eorum quæ fecere Hebræi, quæque passi sunt. Ostenditur res non futura, sed gesta, ut Judæi in posterum caveant, similes penas in se accersere. » Tale enim consilium ne leviter quidem indicatur. Repugnat etiam visum superius vers. 4-4, arcu coherentem cum hoc quod tractamus.

Talentum plumbi est gravitas culpæ et pœna.

« Angelus, inquit S. Hieronymus, qui loquebatur in Propheta, et egrediens ex eo illi universa monstrabat, arripuit mulierem quæ vocabatur impietas, et præcipitem misit in medium amphoræ, quæ prius libere ferebatur, et super amphoram sedens omnibus apparebat. » Hic ergo ab angelo ostensa est Zacharie « mulier sedens in medio amphoræ, » id est limbi, vel officii amphoræ, puta « super amphoram, » ut explicat S. Hieronymus; ita ut umbilico tenus super eam emineret, pedes vero vel extra, vel intra amphoram demitteret: nam paulo post vers. 8, angelus eam ita sedentem, et capite pectoreque eminentem extra amphoram, projecit in medium amphoræ, ibique eam demersit, et talento plumbi occlusit: quo significatur impietatem initio fuisse impune grassatam, sed crescente mensura peccatorum sensim implese amphoram, id est mensuram peccatorum, vindicta a Deo prestitutam, ita tamen ut adhuc libere loqui et movere se posset, donec completa plane eorum mensura, ab angelo amphora omnino inclusa fuit; quo representatur consummata eorum impietas, et mensura peccatorum a Deo præfinita omnino completa, ut reipsa in carcere et exsilium, puta in terram Sennaar, a duabus mulieribus instar milvorum alatis raperetur.

Porro impietas pingitur ut mulier: quia mulier, inquit S. Cyrillus et Theodoretus, subjectum æque ac symbolum est infirmitatis et concupiscentiæ, quæ mater est et fons omnis peccati et impietatis. Unde Eusebius lib. II *De Preparat. Evang.* cap. 11, voluptatem vocat hydram multorum capitum, quod in ea sint principia et capita omnium seclerum. Et Cyrillus Alexandrinus in *Sermon.* eandem vocat metropolim vitiorum omnium. Quocirca Aristippus philosophus mulierem parvam, sed pulchram conspicatus: « Parvum quidem pulchrum, inquit, magnum autem malum. » Ita Antonius in *Melissa*, serm. *De Muliere forti*. Diogenes videns mulieres garrulas inter se colloquentes: « Aspice, inquit, a vipera venenum mutuatur. » Ita idem in *Melissa*, part. II, serm. 54. Democritus rogatus cur, cum magnus esset, parvam duxisset uxorem? « Ego, ait, in malo eligendo, quod minimum erat elegi. » (Idem respondit B. Thomas Morus.) Ita idem, serm. *De Muliere imp.* Vulgare est proverbium: « Ignis, mare, mulier, tria mala. » Secundus philosophus apud Maximium, serm. 9, interrogatus « quid esset mulier mala? » respondit: « Viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vite captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellus conviva, sollicitudo confidens, læna complexens, exornata Seylla, animal malitosum, malum necessarium. » Quapropter aiebat: « Si absque femina esset mundus, conversatio nostra non esset absque diis. » S. Gregorius Thaumaturgus scribens in *Eccles.*: « Experius sum, inquit, mulierem esse quamdam mol-

lem terram. (Alii: Mulier, aiunt, idem est quod mollis aer.) Cor enim ipsius quasi sagena pretereuntes conchidit. Quod si manu sola contingat, tenet: si amplexetur, vineolis trahit. » S. Cyprianus lib. *De Singulari Clerici*: « De carbonibus, inquit, sentille dissilunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat dicens: De vestimento procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. » Socrates aiebat: « Mulier speciosa et pulchra templum est super cloacam edificatum. » Ita Laertius in *Vita Socratis*. Idem dicebat se tria mala assecutum, grammaticeam, paupertatem et perniciosam uxorem; quorum duo priore effugisset, tertium vero minime: quia assidue cum exercebat sua Xantippe. Denique S. Hieronymus ad *Nepotianum*: « Hospitium, ait, tum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Vide ne sub eodem tecto manseris; nec de præterita casitate confidas; nec Sansone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior. Memento semper quod paradisi colonum de possessione sua mulier eiecit. »

Hæc ergo de causa impietatis hic schemate mulieris representatur. Simili modo iniquitas in *Emblematis* Caesaris Ripæ, pag. 379, pingitur quasi femina, vestita igne et flammis, quæ concto cursu fugit. Iniquitas enim animam perversam cruciat et urit, perinde ac ignis lignum aridum: fugit, quia male sibi conscia plena est pavoris et omnia tuta timet; quod et umbras evascescit. Idem impietatem pingit, pag. 1367, quasi feminam fedam, oculis velatis, auribus asininis, dextra tenentem gallum, sinistra ramum pungentis rubi, aut hippopotamum. Gallus enim ferus est et sævus, ut et matrem violet, ac patrem invadat: hippopotamus vero, sive equus fluvialis frequens in Nilo, teste Plinio lib. VIII, num. 25, impius est, quia matrem fedat et patrem occidit. Ita peccator impius est in Deum Patrem et in matrem Ecclesiam, eosque quasi rebelles et hostis invadit, præsertim si sit idololatra aut hereticus. Idem peccatum, pag. 132, part. II, pingit quasi juvenem cæcum, nudum, nigrum, ambulantiem per avia et præcipitia, cinctum serpente, cum verme ad latus sinistrum, qui illi cor rodit. Hoc est vermis, sive mercurius conscientiæ: serpens est diabolus, qui peccatorum specie falsa, boni apparentis decipit, ut primum matrem nostram Evam specie pomi, et spe omniscentiæ decipit, *Genes.* III, 4.

Tropologicè, mulier ista est voluptas. Hæc enim est causa et mater omnis impietatis et peccati. Ita S. Cyrillus et Theodoretus. Sapienter Maximus, serm. 171, ex S. Chrysostomo: « Voluptas, ait, cum similis est: si persequaris, fugit; si nutrias, manet. »

Symbolice, mulier hæc, puta impietas, sedere dicitur tribus de causis. Sedet enim ipsa *primo*, tanquam assueta et affixa suis eunediis et vitis-

Peccati emblemata.

sedet ob tres causas.

Mulier in amphora sedet, cur?

Mulier in amphora sedet, cur?

Unde *Psalm. XLIX, 20*, de detractore maledicentis assuetu dicitur: « Sedens adversus fratrem suum loquebaris, » non stans, quasi obiter et in transitu; sed sedens quasi ex professo, ex usu, ex habitu; *secundo*, quasi moesta et damnata ad amphoram, id est carcerem justumque supplicium; *tertio*, quasi iners et pigra. Acedia enim in *Enchiridibus* Caesaris a Ripa, pag. 8, pingitur quasi vetula turpis, male vestita, sedens, capite incumbens manui sinistrae, innixa genibus, ex qua dependet charta, cum hoc lemma: « Torpet iners, » dextra gestans torpedinem piscem. Praclare S. Bernardus in *Epistolis* aecedum increpans: « O homo imprudens, ait, millia millium ministrant ei, et decies centena millia assistunt ei, et tu sedere praesumis? » Tropologie, qui sedet in amphora, id est qui in peccatis pacem habet, inquit Sanchez, prope est ut jaceat, id est spiritum habeat compunctionis et soporis, ita ut neque lucem aspiciat neque ictum sentiat, et oppressus talento plumbeo obdurationsis suae a milvinis penis rapiatur in terram Sennaar, ubi ad ejus supplicium aedificatur stabilis et aeterna domus.

Vers. 8. HEC EST IMPIETAS, — puta impia Synagoga. Hic est titulus, sive epigraphae mulieris, sicut in comediis actoribus personatis tituli affiguntur, v. g. hic est David, hic est Urias, haec est Bersabee, ut sciant spectatores quam quisque personam agat. Similiter in reorum judiciis et supplicii, solet affigi titulus, indicans causam supplicii, uti Christo crucifixo hunc titulum affixit Pilatus: « Hic est Jesus Nazarenus rex Judaeorum, » g. d. Hic Jesus damnatur ad mortem, quia voluit esse rex Judaeorum, quia regnum Judae ambivit. Hic alludit S. Joannes *Apocal. XVII, 5*, cum meretrici illi famosae, hoc est Babylonii typicae, suum titulum affigit dicens: « Et in fronte ejus nomen scriptum, mysterium, Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terrae. » Jam impietas hic qualibet accipitur, puta tota multitudo et congeries peccatorum; sed maxime duplex. *Prior* est idololatria, ob quam ad captivitatem Babylonicam damnati fuerunt Judei; ita S. Hieronymus, Hugo et Lyranus; *secundo*, occisio Christi, ob quam perpetuo exilio nunc damnantur. Ita Ribera, Sanchez, Fernandus et alii. Haec enim proprie dicta eaque summa fuit impietas. Notat S. Chrysostomus tract. *I De Orando Deum*, omne quidem peccatum mortale esse moriem animae, quia ab ea expellit Deum, qui ejus est vita; proprie tamen impietatem dici mortem animae, quia pietas, seu cultus Dei, et conversatio eo cultu digna, proprie est vita animae, quam tollit impietas, quae idcirco proprie ejus est mors. Unde hebraice *חַרְשָׁתוּר חַרְשָׁתוּר* *hariseta*, g. d. illa impietas, illud scelus, scilicet insigne et enorme.

ET PROIECIT EAM IN MEDIUM AMPHORAE. — Ita ut caput totumque corpus mulieris intra amphoram contineretur, ut paulo ante dixi. Haec phrasi si-

gnificatur completam fuisse mensuram peccatorum, ideoque Judaeis instare dei vindictam. *Primo* Judaei impleverunt mensuram hanc suam, tempore Sedeciae, cum ipse juramentum Chaldaeis praestitum quod eis subisset, violavit et perjurus eis rebellavit, *IV Reg. XXV, 6*. Unde mox excisus est cum regno ab isdem Chaldaeis. *Secundo*, cum Christum occiderunt; unde mox excisi sunt a Tilo et Romanis. Ita Ribera, Sanchez, Fernandus et alii.

ET MISIT MASSAM PLUMBEAM IN OS EJUS. — «Ejus, » vel mulieris, ut voluit Theodoretus et Vatablus, vel potius et plenius amphora; obstruxit enim os amphorae, et per consequens os mulieris, totamque mulierem, quae intra amphoram conjecta, illa claudebatur. Ita S. Hieronymus, Hebraei, Albertus, Remigius, Ribera et alii (1). Haec massa plumbea significatur completa mensura peccatorum, ideoque mulierem, id est impiam Synagogam, damnari ad supplicium certum et irrevocabile, cujus gravitas et perpetuitas significatur plumbo, inquit S. Hieronymus, Rupertus et Remigius, ut ad perpetuum silentium, carcerem, tenebras et barathrum detrudatur et demergatur. Audi S. Hieronymum: « Ab angelo opprimitur, ut quae prius letabatur in scelere, aeterno silentio conticescat; vel juxta Theodotoneum, ipsa mulier se projecit et abscondit in medium amphorae, ac super se duxit gravissimum plumbi pondus, ut obturatum os haberet, et ultra se jactare non posset; » itaque deportatur in Sennaar, id est in Babylone; licet enim Judaei ex ea per Cyrum liberati et egressi sint, tamen non sunt egressi nisi emensa amphora, id est expleta mensura septuaginta annorum, poenae et captivitate eorum a Deo praestituta, quae culpae eorum commensa. Rursum impietas ex ea non est egressa, quia idololatria Judaeorum mansit in Babylone, nec regressa est in Jerusalem; ipsi enim hac captivitate castigati, amplius non coluerunt idola. Sic et Isidorus *Pelusiota*, lib. III, *epist. 33*, per talentum plumbi accipit pondus peccati, quod peccatorum ad ima gehennae degravat et deprimit: « Mensura (amphora) vero, inquit, significat divinae lenitatis et patientiae finem, ac poenae principium. » Addit Arias mulierem hanc plumbum ore excipere et devorare coactam, vel plumbum liquefactum in os ejus infusum, idque in poenam fraudum et furtorum ejus, de quibus *vers. 3*, sicut hodie falsarii et corrosores monetae in cacabum olei bullentis immittuntur, illudque haurire coguntur. Probat id Arias ex traditionibus Hebraeorum titulo: *De*

(1) Suffluxum femininum פִּינָה *phia*, plerique, ait Risenmuller, melius ad mulierem ipsam, de qua directe hic sermo fuerat, referunt; est, ut apud Judaeos Ackermann, ex antecedi. et consecq. cum patet massam plumbeam eum in finem apportatam esse, ne amplius mulier illa possit emergere, suffluxum rectius refertur ad אֵפֶרָה *epha*, amphora.

Massa plumbea in ore quid?

Tropologie, masses plumbeae est consetudo jecand.

Anagogice, est obstinatio.

Vers. 9. Duae mulieres quae?

Responsio prima.

Secunda.

Tertia.

Sambodrin, sive de magistratibus, ubi dicitur, Judaeis idololatri, vel violatae religionis convictis solere plumbum liquefactum in os infundi, eoque illos enecari et comburi. Verum hoc loco solum oculos est os amphorae plumbo; non autem hausit illud mulier in amphora sedens; sed in inferno damnati hauriunt sulphur, picem et plumbum liquefactum.

Tropologie, impietas in amphora obscura plumbo oclusa, est execratio Judaeorum; massa plumbea est obstinatio, quam summam in eis hodie cerimus. Rursum massa plumbea impietatis est consuetudo peccandi. Haec enim peccatorem ita degravat, ut in abyssum malitiae demergat, ex qua se erigere et exurgere nequit, nisi miraculo et miraculosa Dei potentis manu et gratia elevetur et extrahatur.

Anagogice, talentum plumbi significat gravitatem et perpetuitatem tam culpae, quam poenae damnatorum in Sennaar, id est in inferno, eorumque obstinationem in malo. Ibi enim impietas cum omnibus impiis, quasi ore ocluso, ad aeternum carcerem, silentium et tormentum damnabitur, et quasi in amphora constipabitur. Unde S. Joannes *Apocal. XX, 1*, vidit « angelum descendentem de caelo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, etc. et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum, et clausit et signavit super illum. Ibi ergo omnis iniquitas opprimitur os suum, » *Psalm. CVI, 42*.

9. ET ECCE DUAE MULIERES. — Quaes, quenam haec? S. Hieronymus cum suis asseclis, Remigio, Ruperto, Alberto, Hugone et aliis, accipit Israel et Judam, sive Samariam et Jerusalem, puta decem tribus et duas reliquas; quas pariter Ezechiel, *cap. XXIII, 4*, comparat duabus mulieribus meretricibus, Oolae scilicet et Oolibae. Verum non agit hic de Samaria et Israel, hic enim jam pridem abductus erat, non in Sennaar, id est in Babylone, sed in Assyriam. Quod si quis amphoram hanc accipere velit mensuram impietatis et punitionis tam Israelis, quam Judae, potius dicat duas hasce mulieres fuisse Salmanasar et Nabuchodonosor. Ille enim Israel in Assyriam, hic Judam in Babylone traduxit. Alii, ut Lyranus, Vatablus, Dionysius, Fernandus, accipiunt tribum Juda, et tribum Benjamin; haec enim portarunt amphoram, id est mensuram suae culpae et poenae, in Babylone, ubi ipsa quasi perpetuo victura remansit. Verum haec mulieres fuerunt quasi hiores, vel carnifices; Israel autem non fuit ibi ipsi licitor, aut carnifex (1).

Tertio, Theodoretus et Hebraei apud S. Hieronymum, accipiunt Persas et Medos, sive Cyrum

(1) Haec non possunt intelligi de translatione Judaeorum in Babylone tempore captivitatis, ut aliqui intelligent, contra seriem orationis et contextum; nam quod visionem tum antecedit, tum sequitur, ad futurum pertinere culque legenti constat.

et Darium; qui ita Babylonem vastarunt, ut amphora, id est impietatis poena, perpetuo in ea durare, et sedem suam in ea collocasse videatur; cum in Jerusalem paucis, puta septuaginta, tantum annis duravit. Haec expositio rem bene attingit, sed semiplene et ex parte duntaxat.

Dico ergo per duas mulieres accipi dnos demones primarios, vel potius Nabuchodonosorem et Nabuzardan qui Jerusalem vastarunt, ac Judaeos impios in Babylone transulerunt. Hi enim fuerunt milvi alati, id est abigei et raptores cellerimi, fortissimi et rapacissimi Judaeorum, qui eos traduxerunt in Babylone. Unde Chaldaeus vertit, *populos leves et expeditos*, quales fuerunt Chaldae. Tales post necem Christi Judaei fuerunt Titus et Vespasianus, vel Titus et Adrianus.

Tropologie, aliqui accipiunt duo peccata insigniora Judaeorum, quae eos ad exilium in Sennaar adegerunt. Noxa enim caput sequitur; et culpa est quasi licitor, qui peccatorem adigit et agit in furcam; quenam haec peccata sint non constat. Posset quis suspicari esse furtum et perjurium, quae nominavit *vers. 3*. Haec enim visio amphorae cum illa volutinis volantis videtur coincidere, et eodem referri. Ribera vult esse execrationem et obstinationem Judaeorum, quae spiritum diabolico aere, quasi alis milvi amphoram hanc cum muliere deportant in Babylone. Sed haec duo continentur in muliere, mulier enim est impietas; maxima autem impietas est obstinatio, et in malo obstinata voluntas.

Symbolice, duae mulieres ex parte Dei possunt accipi divina sanctitas et justitia; haec enim poenae ab impiis Judaei deponerentur, eosque in Jerusalem et Terra sancta in impiam et impuram Babylone eiecerunt. Unde habent alas חַרְשָׁתוּר *chariseta*, id est milvi, vel, ut recentiores vertunt, ciconiae: *chariseta* a radice חָרַשׁ *charesa*, id est pietas, significat avem piam, puta ciconiam. Haec enim pia est in parentes, quos senescentes fovet et alis excipit, ut cum iis ad nidum tranvolet. Rursum per antiphrasim *chariseta* significat milvum, quia impius est, savius et rapax; Septuaginta vertunt, *υγρον*. Jam justitia divina sevit in Judaeos instar milvi; sanctitas tutata est templum et pietatem instar ciconiae, ideoque ex eo impios Judaeos eiecit in Babylone.

SPIRITUS IN ALIS BARUM. — « Spiritus » est ventus, q. d. Rapidissimo et validissimo vento ferebantur et impellebantur, seque impellebant amphoram in terram Sennaar. Significatur celestis et fortitudo Nabuchodonosoris et Nabuzardan, in vastandis, expandendis et abduendis Judaeis. Ita Theodoretus, Haymo, Vatablus et Arias. Symbolice, S. Hieronymus spiritum nequam accipit, puta diabolum, q. d. Mulieres haec spiritu diabolico agitantur, ita ut viderentur diabolum habere in alis, eoque quasi furis agi rapide in Babylone.

LEVAVERUNT AMPHORAM INTER COELUM ET TERRAM,

Quarta et generalis.

Tropologia.

Symbolis.

— *q. d.* Non cursu, non equis, non curru, sed volatu, id est velocissime translulerunt amphoram. Qui enim volat, librat se in aere inter caelum et terram. Alludit ad milvos volantes et nidulantes in arborum cacuminibus.

Symbolice significatur, nec caelum recipere Judaeos, utpote impios et Deo exosos; nec terram, utpote qui hominibus invisi ubique sint, ideoque vagi, exules et profugi, ita Rupertus: « Nec terra sua, inquit, capit eos, nec caelum admittit eos. Et quemadmodum signifer eorum Judas proditor periit, suspensus inter caelum et terram, ut ait quidam, cœli terreque perosus; sic et iste populus a terrena Jerusalem exclusus, et caelesti factus indignus, quasi pendet inter caelum et terram, » juxta illud Satyrici: « Si non in collis (vel terris) stes ubicunque velis. » Et Fernandus *visione* XXXIV, sect. v: « Judaeos, inquit, quasi pilam lusoriam repercutiunt omnes gentes. »

Vers. 11.

11. UT ÆDIFICETUR EI DOMUS IN TERRA SENNAAR. — Puta in Babylone, ut vertunt Septuaginta, nam in terra Sennaar est Babylon, ut patet *Genes. xi*, 2. Dicta est Sennaar quasi שֵׁנַר *sennaar*, id est quæ excussit, scilicet dentes et linguam fabris turris Babel; ibi enim Deus confudit labium unum Meropum, quo omnes loquebantur hebraice, itaque quasi linguam et dentes eis excussit. Rursus excussit ipsos fabros ex Sennaar, eosque in totum orbem dispersit. Significat Zacharias impios Judaeos a Chaldeis abductos fuisse in captivitate Babylonicam, ibique multis annis, puta 70 mansisse, sicut S. Hieronymus, Rabbinus, Albertus, Vatablus et Stunica: post eam vero ab Antiocho Epiphane, et plane pleneque a Tito, abducendos esse in captivitate et exsilium universale, quo totus orbis eis erit Sennaar, id est terra excussionis, puta impietatis et infidelitatis eorum carcer et exsilium. Quia enim atrox fuit clades et captivitas Sennaar, sive Babylonis, hinc per catachresin, a Judæis quævis gravis calamitas, carcer et exsilium, vocabatur Sennaar, sive Babylon. Ita Arias et Sanchez. Denique multi censent hic significari, in Babylone regnum suum inchoatum Antichristum, ibique erecturum sedem impietatis, æque ac tyrannidis, ac Judæos eum ibidem pro suo Messia recepturos et culturos, ut ait Christus *Joan. cap. v*, 43, donec ab Elia et Henoch per miracula ardentemque zelum ad Christum convertantur. Ita Ribera, Emmanuel et Franciscus Suarez, III part. *Quest. LIX*, disp. IIV, art. 6, sect. v, et alii multi; quin et auctor operis de Antichristo apud S. Augustinum, et S. Hieronymus in cap. XI *Daniel*, et Anselmus in *Elucidario*, asserunt Antichristum Babylone nasciturum. Hæc de causa S. Joannes Apoc. xvi, 12, vidit reges cum magnis copiis ab Euphrate, id est et Babylonia quæ Euphrati adjacent, venientes ad Antichristum: « Et sextus angelus, inquit, sicavit Euphratem, etc., ut præ-

pararetur via regibus ab ortu solis. » Et cap. IX, 14: « Solve, ait, quatuor angelos, qui alligati sunt in magno flumine Euphrate, etc., ut occiderent tertiam partem hominum. Et numerus equestris exercitus vicies millies dena milia. » Acedit quod typus Antichristi fuit Nabuchodonosor, qui Judæos vastavit et abduxit in Babylonem, quique adorari se fecit in statua aurea, quam erexit, *Daniel. III*, 5, uti et faciet Antichristus, juxta illud *Jerem. cap. 1*, 14: « Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ, » puta a Babylone quæ Judææ erat ad aquilonem. Jam sensus hujus loci est is, quem assignavi vers. 6. Amphora enim hæc continens impietatem, locata et statuta in Babylone, significat iam impietatis culpam, quam ponam in Babylone locatam, ut cum in ea impietas steterit per delinitam a Deo mensuram tum peccatorum, tum temporum, puniatur et plectatur: *primo*, per Cyprium; *secundo*, per Darium; *tertio*, per Christum, qui Babylonem et Babylonicos Antichristi asseclas disperdet in fine mundi.

Nota: Cum ait, « ut ædificetur, » etc., alludit ad idola et idololatriam, quæ maxime nomine impietatis hic intelligitur. Idolis enim more communi Judæi ædificabant domos et templa, eaque ponebant et elevabant in basi, ut excelsa ab omnibus viderentur et colerentur. Jam domus idololatriæ et scelerum fuit Babylon, ut patet *Jerem. cap. 1* et *LI*, unde per catachresin, Roma impietatis et ethnica sanguine fidelium et martyrum eruenta, imo ebria, a S. Joanne vocatur Babylon *Apoc. XVII* et *XVIII*. In Babylone ergo impietas Judæorum, ejusque poena et captivitas posita fuit super basin, quia quasi statua super columnam erecta fuit, ut videri ab omnibus etiam longe remotis posset. Proprie ergo et genuine hæc amphora impietatis et Judea translata in Babylonem, significat idololatriam cum idololatriis impiisque Judæis, a Chaldeis et Judea translata esse in Babylonem, ita ut Judea jam ab ea expurgata sit sancta, dignaque in qua Deo templum restaretur, in quo ipse, ut prius, habitet et colatur: qua ratione Propheta consolatur, simulque incitat Jesum, Zorobabel et populum, ut in Jerusalem reversus ibi maneat; et si qui in Babylone remanserint, inde in Judæam redeant, ibique templum Deo construant, in quo illius sancte venerentur et colant. Jerusalem enim jam est civitas pietatis, Deique veri cultus, ideoque impunitatis pariter et securitatis asylum: Babylon vero est civitas idololatriæ et impietatis, ubi fuit ab initio sub tyranno Nemrod, *Genes. cap. x*, 10; ideoque punitioni et excidio addicta, perinde ac jam Mecca in Arabia est civitas mahometismi, Geneva est metropolis calvinismi. Judei ergo et Jerusalem in amphora quasi translata in Babylonem, eo impietatem, id est idololatriam, secum exportarunt, ita ut illa amplius non redierit in Jerusalem, inquit Lyranus, Dionysius et a Cas-

tro. In Babylone itaque suam amphoram, id est culpam et poenam deposuerunt, dum septuagesimo anno ea emensa, evoluta et persoluta, quasi ex sua amphora exeuntes, puri et liberi redierunt in Jerusalem et terram sanctam, amphoram, id est idololatriam, ejusque poenam relinquentes Babyloni et Babylonicis, quos proinde primo Cyrus, deinde Darius Hystaspis vastavit.

Allegorice, significatur impietatis Judæorum mensura complenda per eadem Christi, ob quam ipsa cum Judæis impiis et Jerusalem per Romanos expellenda sit in Sennaar, id est in exilium totius orbis, donec in Sennaar subjiciat se Antichristo, cum eoque plectatur et trudatur in tartara. Ibi enim erit æterna sedes impietatis, ibique implebitur plane illud: « Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, » id est excussionis, « et stabilietur et ponatur ibi super basin suam. » Pro quo clarius vertit Syrus: *Ut ædificetur ei domus in terra Babylonis, et stabiliet eam, et habitare (residere) faciant eam ibi super preparationem (mansionem) ejus; et Arabicus Alexandrinus: Jam ædificata est ei domus in Babylone, et parata est ei, et habitabit in domo quæ ei parata est; et Arabicus Antiochenus: Ut ædificetur ei domus in terra Babylonis, et stabiliet eam, et ponat eam in æqualitate ejus, æqualia reddens cuique pro demeritis supplicia. Tunc enim impietas Judæorum, inquit Fernandus *visione* XXXIV, sect. v, exaltabitur, et quasi super basin ut idolum in templo collocabitur, ut gloriosior et honoratior habeatur ab omnibus Antichristi sequacibus. Unde eorum typus fuerunt fabri, qui turrim Babel ædificaverunt in Sennaar, ut impietatem suam contra Deum exaltarent. Sic enim et Judæi impietatis suæ idolum, quasi super basin exaltabant ibidem sub Antichristo, sed in nihilum recident cogitationes eorum, sicut et impie turris ædificatorum. Nam et Antichristus eorum occidetur a Christo, et impietas exaltata cadet: sed per magnam misericordiam Dei fiet, ut cæso Antichristo, a sua impietate respiciant, et convertantur ad Christum. Beneficia enim Dei contempta acunt Dei, primo iram, deinde misericordiam.*

Tropologicæ, impietas et Jerusalem, id est Ecclesia everrunt, cum ex ea expelluntur, exeuntesque schismatici et heretici, ut constituant suam hæresis idolum in Babylone, id est in sua Ecclesia Satânica, ex qua in æternam Babylonem, id est confusionem, et Sennaar, id est excussionem dentium, deturbabuntur, puta in gehennam, ubi erit fletus et stridor dentium; ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Fideles ergo qui sapiunt, fugiant Babylonem hæc quæ super pestem, ac in Ecclesia sedem figant; ibi templum perfectionis virtutum Deo ædificent, donec in Jerusalem et templum celeste, ad æternam vitam et gloriam transferantur. Utinam, o Domine, impietatem (hæresim) ex Anglia, Scotia, Germania, Bohemia, etc., educas, et transferas in

Sennaar, ut fiant terra orthodoxa et sancta, sicut olim fuerunt, cum in ea te laudaverunt patres nostri.

Rursus amphora est mensura peccatorum ejusque, tum hominis, tum populi, quia impleta Dei vindicta necesse est ullionem. Quisque ergo videat ne amphoram hanc impleat, sed si quid criminum in eam injecerit, mox per penitentiam evacuet et exhauriat. Porro impletur amphora, cum impune et publice grassatur impietas, uti fit in Baathanalibus, cum omnium oculi in eam intendunt. Tunc ergo maxime timenda est Dei ira et vindicta. Quocirca viri sancti, ut eam a se et republica avertant, eo tempore tanto magis insistent orationibus et piis operibus, ut iram Dei sistant et amphoram evacuent, quanto impii vacant suis cupidinibus, ardentque ut eam impleant; ne instar Sodomorum igne cœlesti siderentur, vel instar Judæorum in terram Sennaar, id est excussionis, puta in exilium presens et perenne in gehenna ablegentur; presertim cum Deus dat signa iræ suæ, et vindicta imminet per famem, pestem, publicasque strages et clades. Tunc enim apparet ejus falx volans et amphora egrediens, quam præcones Iohi populo annuntiet et intendent, ut eam vitare, et Dei indignationem placare satagant; perinde ac fecit Aaron in seditione ac punitioe Core, jubente Mose ac dicente: « Tolle thuribulum, et hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis; jam enim ira egressa est a Domino, et plaga desecit. Quod cum fecisset Aaron, et accurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama, et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit. »

Symbolice, S. Gregorius lib. XIV *Moral. cap. XXVI*, per amphoram accipit avaritiam, in quam oculi omnium mundanorum respiciunt; ut, cum ad cœtera sint cœci, oculos solum habere videantur ad intendens amphoras, et mensuras emendi vendendique, ac cetera lucri instrumenta. Hanc ducit mulieres, scilicet superbia et inanis gloria in altum levant. Audi ipsismet S. Gregorium totum hoc amphoræ symbolum explicantem moraliter: « Volens Deus Prophete ostendere humanum genus, ex qua ab eo maxime culpa dilabatur, per imaginem amphoræ quasi patens os avaritiæ designavit: Avaritia quippe velut amphora est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet. Et dixit: Hæc est oculus eorum in universa terra. Multos obtusi sensus homines cernimus, et tamen eos in malis actibus astutos videmus. Propheta quoque attestante, qui ait: Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt. Hi itaque sensu torpent, sed in his quæ appetunt, avaritiæ stimulis excitantur; et qui ad bona videnda cæci sunt, excitantibus premiis ad peragenda mala, vigilantes fiunt. Unde recte de hæc

Symbolice, amphora est avaritia.

eadem avaritia dicitur: Hec est oculus eorum in universa terra. Ecce talentum plumbi portabatur. Quid est talentum plumbi, nisi ex eadem avaritia pondus peccati? Et ecce mulier una sedens in medio amphorae. Quam mulierem ne fortassis que esset, dubitare possimus, illico angelus innouit. Nam illico mox sequitur: Et dixit: Hec est impietas. Et projecit eam in medio amphorae. Impietas in medio amphorae projicitur; quia nimirum in avaritia semper impietas tenetur. Et misit massam plumbi in os ejus. Massa plumbi in os mulieris mittitur: quia scilicet impietas avaritiae peccati sui pondere gravatur. Si enim ea que deorsum sunt non ambiret, erga Deum ac proximos impia nequaquam existeret. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce duae mulieres egredientes, et spiritus in alis earum. Quid aliud in his duabus mulieribus accepimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet et gloriam inanem? que impietati absque ulla dubitatione conjuncta sunt. Quae et in alis suis spirituum habere narrantur, quia in actionibus suis Satanae voluntati deserviunt. Ipsum quippe Propheta spiritum appellat, de quo Salomon ait: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Et de quo in Evangelio Dominus dicit: Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa. Spiritus in alis earum est; quia superbia et inanitas gloria per omne quod agunt, Satanae voluntati famulantur. » Cetera deinde amphorae ita tropologicae prosequitur: « Et habebant alas, quasi alas milvi. Milvus semper naturae studet insidiari pulorum. Iste ergo mulieres alas habent quasi alas milvi, quia actiones earum diabolo sunt procul dubio similes, qui insidiatur semper vitae parvulorum. Et levaverunt amphoram inter caelum et terram. Superbia et vana gloria habent hoc proprium, ut eum quem inferant, in cogitatione sua super ceteros homines extollant, et modo per ambitum rerum, modo per desiderium dignitatum, quem semel captum tenuerint, quasi in honoris altitudinem elevent.

Qui autem inter caelum et terram est, et ima deserit, et superiora minime attingit. Levant ergo istae mulieres amphoram inter caelum et terram, quia superbia et inanitas gloria mentem per avaritiam honoris captam ita elevat, ut quoslibet proximos despicientes quasi ima deserant, et alta gloriantes petant. Sed tales quique dum superbiunt, et eos mente transeunt cum quibus sunt, et superioribus civibus minime junguntur. Amphora ergo levata inter terram et caelum dicitur: quia avari quique per superbiam atque inanem gloriam et proximos juxta se despiciunt, et superiora que ultra ipsos sunt, nullatenus apprehendunt. Inter terram itaque et caelum feruntur: quia nec aequalitatem fraternitatis in infimis per charitatem tenent, nec tamen summa pertingere sese extollendo praevalet. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quo istae deferunt amphoram? Et dixit ad me: Ut edificetur ei domus in terra Sennaar. Eisdem amphorae edificatur domus in terra Sennaar: Sennaar quippe fetor eorum dicitur. Et sicut bonus odor ex virtute est, Paulo attestante, qui ait: Odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo, et e contrario fetor ex vitio. Radix enim est omnium malorum cupiditas. et quia quodlibet malum per avaritiam gignitur, dignum est ut domus avaritiae in fetore construat. Sciendum quoque est quod Sennaar infimissima vallis est, in qua turris a superbientibus edificari coepit, quae linguarum facta diversitate destructa est; quae scilicet turris Babilonem dicitur, pro ipsa videlicet confusione mentium atque linguarum. Nec immerito ibi avaritiae amphora ponitur, ubi Babylon, id est confusio, edificatur: quia dum per avaritiam et impietatem certum est omnia mala exurgere, recte haec ipsa avaritia, atque impietas in confusione perhibentur habitare. » Hec que de avaritia dixit S. Gregorius, pari jure libidini, gula, ira, accidia, et cuiusvis alteri vitio attribuas. Amphora enim vini. est gula; fellis ira; torporis, accidia, etc.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Zacharias quatuor quadrigas, in eisque equos quadruplices, scilicet rufos, nigros, albos et varios, portendentes quatuor monarchias sibi ordine succedentes, scilicet Chaldaeorum, Persarum, Graecorum et Romanorum, quibus successit regnum Christi stabile et aeternum. Unde secundo, vers. 9, jubetur facere coronam auream, eamque ponere in capite Jesu pontificis, aulique: Ecce vir Oriens (Chaldaice Messias) nomen ejus, et subter eum oriatur, et edificabit templum Domino. Ocasio hujus visionis fuit haec: Vidit Zacharias in fine capituli precedentis amphoram cui insidebat impietas, transferri in Babylonem, ibique eam in basi quasi in loco stabili collocari. Jam videt circa impietatem hanc, et impium Babylonis imperium cetera regna confingere, illudque ei extorquere. Nam Cyrus et Persae ceperunt et vastarunt Babylonem. Deinde Alexander Magnus Darium et Persas cecidit juxta Babylonem, eoque ratione Babylonis imperium Persis ademit, et ad Graecos transtulit. Denique Romani illud idem Graecis ademptum sibi vindicaverunt. Hoc est quod a Deo audit Propheta vers. 8: Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis (in Babylonem que Judaea est ad aquilonem), requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.

Hoc eodem paulo ante intravit est Daniel, cap. ii, 32, ubi in specie status quadriformis quatuor haec monarchias conspexit. Et cap. vii, 3, ubi easdem sub specie quatuor ferarum, scilicet leonae, ursi, pardis, et quartae horribilis ac variae depingi vidit: quae visio paucis annis ante Zachariam contigit, nimirum anno primo Balsasar, ut ibidem dicitur vers. 1, qui paulo post exsus fuit a Cyro Babylonem expugnante. Hoc vero Zachariae contigit sub Dario Hystaspis, qui post septennium regni Cambysis, Cyro in imperio Persidis successit, et Babylonem rebellantem rursus expugnavit. Quae circa ad has Danielis visiones alludit Zacharias: unde vidit eosdem quatuor ventos, quos Daniel cap. vii, 2, inter se configentes; ac quatuor feras quatuor monarchias portendentes praecurrere, et destinare in regnum Christi aeternum. Prima enim Danielis fera respondet rufo coloris equorum Zachariae: leonae enim est rufo. Secunda fera Danielis, puta ursus, respondet nigro coloris equorum secundorum Zachariae: ursi enim sunt nigri. Tertia fera Danielis, puta pardus, respondet coloris albo equorum tertiorum Zachariae: pardus enim maculis albis inspersus est. Quarta fera varia Danielis respondet quartis equis variis Zachariae. Danieli enim et Zachariam secutus est S. Joannes Apoc. vi, ubi quatuor regna post Christum futura vidit depingi per quatuor equos: primum, album; secundum, rufum; tertium, nigrum; quartum, pallidum. Vide ibi dicta (1).

1. Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi: et ecce quatuor quadrigae egredientes de medio duorum montium: et montes, montes aerei. 2. In quadriga prima equi rufi, et in quadriga secunda equi nigri, 3. et in quadriga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii, et fortes. 4. Et respondi, et dixi ad angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt haec, domine mi? 5. Et respondit angelus, et ait ad me: Isti sunt quatuor venti caeli, qui egrediuntur, ut sententiam Dominatore omnis terrae. 6. In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis: et albi egressi sunt post eos: et varii egressi sunt ad terram Austri. 7. Qui autem erant robustissimi, exierunt, et querebant ire, et discurrere per omnem terram. Et dixit: Ite, perambulate terram: et perambulaverunt terram. 8. Et vocavit me, et locutus est ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis. 9. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 10. Sume a transmigracione ab Holdai, et a Tobia, et ab Idaia, et venies tu in die illa, et intrabis domum Josiae, filii Sophoniae, qui venerunt de Babylone. 11. Et sumes aurum et argentum:

(1) Continetur hoc capite emblemata postremum exhibens quatuor quadrigas per equorum colores distinctas, quae significant monarchias adhibendas ad explendam Dei vitionem, 4-8.

Adjicitur visio ultima, primus de facienda corona ex donis exsulium in Babylone, et imponenda Jesu pontifici, 9-11; secundo, de futuro Christi adventu, commendata ab illo Ecclesiae, sacerdotali illius ac regia potestate, 12, 13.